

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Resurrectio p cum fonte primo

Sunt nonnulli considerantes quod spiritus a carne soluitur, quod caro in putredinem uertitur, quod putredo in puluerem redigitur, quod puluis in elementis soluitur ut nequaquam ab humanis oculis uideatur, resurrectionem fieri posse desperant. Et dum arida ossa despiciunt, hec uestiri carnibus rursum quod ad uitam uiridescere posse diffidunt. Qui si resurrectionis fidem ex obediencia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerant. Quid enim cotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur?

Nam per momenta temporum cernimus arbusta uiriditatem foliorum amittere, a fructuum prolatione post largitionem cessare; et ecce subito quasi ex arescenti ligno uelut quadam resurrectione ueniente uidemus folia erumpere, fructus grandescere, et totam arborem rediuiuo decore uestiri.

Gregorius libro XIII. moralium.

Sunt uero nonnulli qui considerantes quod spiritus a carne soluitur, quod caro in putredinem uertitur, quod putredo in puluerem redigitur, quod puluis ita in elementis soluitur, ut nequaquam ab humanis oculis uideatur, resurrectionem fieri posse desperant; et dum arida ossa inspiciunt, haec uestiri carnibus rursumque ad uitam uiridescere posse diffidunt. Qui si resurrectionis fidem ex oboediencia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerunt. Quid enim cotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur?

Per cotidiana quippe momenta lux ipsa temporalis quasi moritur, dum superuenientibus noctis tenebris, ea quae aspiciebatur subtrahitur, et quasi cotidie resurgit, dum lux ablata oculis, suppressa iterum nocte reparatur.

Per momenta quoque temporum cernimus arbusta uiriditatem foliorum amittere, a fructuum prolatione

cessare; et ecce subito quasi ex arescenti ligno uelut quadam resurrectione ueniente uidemus folia erumpere, fructus grandescere, et totam arborem rediuiuo decore uestiri.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 14, 55 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., pp.741-2, ll.56-73).